

eius superstitionis genus, constellationes Latini vocant, id est notations siderum, quomodo se habeant, cum quisque nascitur.

Th. VI.

Describimus vero Thema Genethliacum quod sit: *Judicium aliquod Astrologicum, ubi juxta certas regulas constellationum, circa horam nativitatis comparentium, quis de hominis nati affectibus, vita & fortuna conjicit.* *Tulden ad Tit. Cod. de Malef. & Matrem. n. 3.* Ad tempus ergo nativitatis hoc judicium referimus. Cum enim tempus conceptionis accuratè neque à priori, neque à posteriori, sciri possit; frustra quoque Astrologus in hoc conceptionis momento judicium suum fundat. Quod enim à posteriori & à tempore nativitatis se velit ad tempus conceptionis correferre, est res sane incertissima, cum ob varias causas maturitas partus ordinarium nativitatis tempus possit vel anticipare vel retardare; Uti bene adverterunt Jcti, dum partum non tantum initio septimi mensis pro legitimo agnoscunt, juxta doctrinam Hippocratis in *L. septimo mense 12. ff. de Stat. hom.* Sed etiam tempus nativitatis legitimæ usque ad initium undecimi mensis prorogatum volunt, arg. *Nov. 39. cap. 2. Paul. Zach. Quest. Medic. legal. Lib. I. Tit. 2. quest. 1. sqq. B. Struv. Syntagm. Civ. Exerc. III. th. 4.* Et hinc recte etiam, quoad placita fori civilis, tempus nativitatis saltem ab Astrologo natalium interprete, spectandum erit; de hoc enim cum certiorari possit, ideo ad ejus indicium referri debet. Atque hinc est, quod Ulpianus asserit in *l. 3. §. 3. ff. de Minor.* in probanda ætate & restitutione inde impetranda, computationem naturalem spectandam esse, ita, ut ipsa hora, qua quis est natus, spectetur, & tempus de momento in momentum computari debeat. Add. *l. 98. ff. d. V. S. B. Struv. Syntagm. Civil. Exerc. VIII. th. 42.*

Descriptio
Thematis
Genethli-
aci.

Th. VII.

At vero maximè nobis adversatur; Quod in singula momenta temporis constellatio cœli varietur, & tam accurate punctum nativitatis observari non soleat, nec non

Objeccio
diluitur.